



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 6. In Hungariâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

diu fixis oculis intuentur, maximè verò si quempiam iratis oculis aspiciant: quod malum faciliùs experiuntur impuberes. Pupillas etiam geminas in singulis oculis habere dicuntur. *Plinius lib. 7. cap. 2. ex Ifigono.*

In ea Myfiæ parte quæ Pontica est, herba apparet, ex quâ conficitur oleum quod Medicum vocant. Ex eo excitatum incendium si aquâ obruere gestias, magis exardescit, nec aliter sopitur quàm pulueris iactu. *Solinus.*

In Dardaniâ, & Pæoniâ ranis tam multis pluit, vt incolis fuerit fugiendum. *Eustathius in Dionysium Afrum.*

§. 6. In Hungaria.

ANNO Christi 1549. grassatus est morbus in Hungariâ, quo nascebantur viperæ, serpentes ac lacerti in hominum corporibus: Sanabantur autem ægri exponentes se ad Solem, sic enim serpentes ex artubus malè affectis erumpebant. *Iobus Fincelius. Franciscus Bebecius. Agidius Aquila, & alij multi.*

§. 7. In Hungaria superiore.

IVXTA Schemnitium urbem in Comitatu Barfiensi *Bars*, ex vitibus clauiculi, & folia ex puro auro eruperunt. Certè dens puero cuidam ex auro succreuit, vt testatur *Libanius. Gaudentius Merula.*

Ad eandem urbem Schemnitium aquæ Roselinæ dictæ, in quibus canales per quos fluunt, & sedilia ex lignis facta, lapideo cortice sic obducta sunt vt prorsus lapidea videantur. *Vernherus.*

In eodem Comitatu non longè ab arce *Leuna* aqua, quæ nisi pleno vase hauriatur saporem amittit: quare vel modicum exinanito vase reliquum effunditur. Quod autem credunt si turbida offeratur ægroto, signum esse desperatæ valetudinis, si limpida futuræ sanitatis superstitiosum planè iudicat. *Vernherus de aquis Hungariæ.*

Ab hac alia non procul distat in tumuli speciem assurgens, ac subinde fluxum mutans aquâ statim lapidescente, & sic excrecente ab eâ parte quâ diu manat, vt in aliam conuertere cursum suum cogatur: quod quidem fit circuitu quodam per totam fon-